



REVERENDISSIMO
ET SERENISSIMO PRINCIPI AC DOMI-
NO, Dn. LEOPOLDO, ARCHIDUCI AVSTRIAE,
Episcopo Argentinensi & Passauiensi, Administratori Murbacensi
& Luderensi, Duci Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ,
& VVirtenberge. &c. Landgrauio Alsatie, Comiti
Tyrolis & Goritiæ. &c. Domino suo
Clementissimo.

Quod vsitatus iam ab inuentæ Chalcographo-
rum artis initio mos obtinuit, Reuerendissime & Serenissime Prin-
ceps LEOPOLDE, præclaras vt eruditorum virorum lucubrationes
ad posteros æneis formis transmissuri, præliminarem & typicam
velut hederam eisdem ingeniorum monumentis prætexerent, & sub Patroni cu-
iusdam eminentioris auspicio lectoribus auctorem libri simul & typographicū
suum prælum commendarent: id Nos solenne, LAZARI ZETZNERI bonæ me-
moriæ heredes, Polyantheam istam luci juriq; publico reddituri, causis minimè
vulgaribus tenere, ex eiusdem voluntate Testatoris, constitutum pridem habui-
mus, vt ne nouo libro noui Mæcenatis gratissimus Fauonius, qui per emporia
perq; Gymnasia prouectum blandiore aura prosequeretur, vnquam deesset. Ac
illa quidem in primis ratio Nos ad Serenissimam Celsitudinem Tuam rectà de-
duxit, quod Eam in oculis, Alsatia suæ coram præsentem, haberemus, cuius Exi-
mia dignitate Summaq; auctoritate commoti, Magna aliorum omnium nomi-
na obliuisceremur, totaq; mente atque omni animo Volumen hoc nostrum Sa-
pientissimo Fortissimoque Serenissimæ Celsitudinis Tuæ patrocínio consecra-
remus. Certè si non primos, at consequentes aliquos fructus terræ Dominis co-
loni debent & pendunt, nec inuentos fortè thesauros, nisi cum iisdem partitos, ef-
fodiunt & recondunt. Nos, in Landgrauatus tui Alsatiarum Metropoli, com-
morantes, quod fructuosum & honorificum hic reperimus, hic parturimus. &
plurimorum bono prociusum esse volumus, annè Tuis, Serenissime Princeps, o-
culis & manibus parum ciuiles negabimus? aut verò, quod gustui Tuo literario
placitum arriserit, placiturum omnibus dubitabimus? Præsertim, quòd huius
Polyanthææ πολυανθεαία instructor, Dn. Josephus Langius, nihil ambigimus, si vi-
ueret, disertis verbis non alij rediuiuum hoc suū Syntagma, quàm illi vellet Prin-
cipi dedicatum, in cuius ipse terris primùm natus Alsatia in Cæsaris monte cœ-
lum adspexit, & à cuius Cæsarea familia Friburgi fundatam Archiducalem Vni-
uersitatem, egregia Sapientia & Eloquentia cum laude doctissimus & vigilan-
tissimus ipse Præfectus haud ita pridem administravit. Is, videlicet suis Nos ratio-
nibus priuatis animaret etiam atque impelleret vt à Serenissimo Archiduce Au-
striaco,